

DISSERTATIO VI.

De Romano Pontifice.

PLURIMÆ, et quidem gravissimæ, de Romano Pontifice quæstiones occurrunt expendendæ; 1°. an primatum tota in Ecclesia habeat, et quo jure; 2°. utrum primatus ille sit tantum honoris titulus, an vero etiam importet cum dignitate et honore jurisdictionem; 3°. utrum à Romano Pontifice, tanquam à fonte, proxime derivetur Episcoporum jurisdictio; 4°. an Papæ autoritas Conciliorum generalium autoritate superior sit; 5°. an Summus Pontifex in definiendis fidei quæstionibus errare possit; 6°. an ipse, vel Ecclesia universa, aliquam in res Principum temporales potestatem à Christo acceperit.

CAPUT PRIMUM.

De Romani Pontificis supra ceteros Episcopos in Ecclesia universa primatu.

PRIAMATUS alius est honoris, alius jurisdictionis. Primatus honoris ille est, quo aliquis inter alios primum locum ita obtinet, ut in eos nihil habeat autoritatis: hunc Petro facile concedunt heterodoxi, eumque dicunt non nisi primum fuisse inter pares. Primatus jurisdictionis ille est, quo aliquis autoritate et potestate aliis superior constituitur. Quod Romana Sedes ipsorum errores

damnaverit, indignantes Pseudo-Reformati, in illud potissimum suos omnes conatus contulerunt, ut Romanum Pontificem à jurisdictionis primatu deturbarent. Cum autem non alia esse possit ipsius autoritas, quam ea quæ fuit ipsimet Petro, cujus successor est, nihil non moliuntur ut S. Petro suum in alios Apostolos jurisdictionis primatum eripiant. Pseudo-Reformatis præiverat Viclefus, et Viclefo Ecclesia Græca, quæ sub Photio, Romani Pontificis autoritatem excussit; contra quos sit

PROPOSITIO I.

Petrus supra ceteros Apostolos, ex jure divino primatum habuit non honoris tantum, sed et jurisdictionis.

Probatur prima pars. 1°. Christus Apostolos sic interrogat quid de se ipso sentiant: *Vos autem quem me esse dicitis?* (Matth. 16. 15.) Tunc verò Petrus celebrem hanc emisit confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui statim Christus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et tibi dabo claves regni cælorum.* (Ibid. v. 16. et seq.) Nonne perspicuum est, duplici illa petrae et clavium metaphora, autoritatis amplitudinem significari, quæ ad eum pertineat, ad quem totus Christi sermo dirigitur? atqui verba Christi ad ipsum Petrum spectant; ergo et potestas, quæ petrae et clavium imaginibus designatur.

Et vero nonne ridicula esset tanta verborum emphasis, nisi majorem et ampliorem Petro, quam ceteris Apostolis, potestatem concederet Christus? Denique ex textu manifestum est, Christum voluisse singulari quodam privilegio Petrum remunerare, qui illius Divinitatem confessus fuerat: atqui nullam Petro mercedem, nullumque præmium suis verbis satis accommodatum dedit

Christus, si parem eum reliquis Apostolis fecerit; nec peculiarem ipsi auctoritatem concesserit; ergo, etc.

2^o. Ille est Evangelistarum in numerandis Apostolis ordo constantissimus, ut solus Petrus modò dicatur *primus*, modo primo loco appelletur: *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc, primus Simon qui dicitur Petrus.* (*Matth. 10. 2.*) Similiter legimus *Marc. 3. 16. Luc. 6. 14. Act. 1. 13.* Ceteri vero Apostoli nullum habent certum locum, adeo ut apud *Matth. 10.* post Petrum nominetur *Andreas*; apud *Marcum 3. Jacobus*; apud *Lucam 23. Joannes*: atqui constans illa Evangelistarum consuetudo, Petrum primo loco appellandi, alios autem Apostolos promiscuè, et indiscriminatim nominandi, ex eo repetenda est, quod Christus primatum Petro concesserit: non enim alia videtur esse hujus discriminis causa. An quia ætate grandior erat Petrus, et omnibus senior? Sed interpretes Andream exhibent ut natu majorem: *Andreas prior in Dominum incidit, quo Petrus erat ætate junior*, ait sanctus Epiphanius. (*Hæres. 51. n. 17.* An quia Petrus erat vocatione primus? Sed Evangelio constat Andream fuisse prius à Christo vocatum. An quia virtutibus alios superabat? sed non ignorabat Evangelista Joannem virginitatis laude Petro antecellere, eumque ita à Domino diligi, ut vocaretur *Discipulus quem diligebat Jesus.* (*Joan. 21. 7.*) Denique Evangelistas non latuit Jacobum Minorem, tanta sanctitate eminere, ut *Justus* ab omnibus diceretur; ergo eam ob causam videntur primo loco Petrum constanter appellasse, quia supra ceteros Apostolos primatum à Christo acceperat.

Prob. secunda pars. Nempe primatum illum, non honoris tantum fuisse, verum etiam jurisdictionis ac auctoritatis. Hæc est enim interpretanda Scripturæ regula, ut non ad arbitrium

nostrum ejus sensum coerceremus; sed totum quem suscipere potest ei concedamus, nisi obstant alii textus, vel Traditio: atqui verba quibus Evangelistæ primatum Petro tribuunt, utpote generalia, sponte sese accommodant ad prærogativam significandam, quæ non sit honoris tantum, sed et jurisdictionis ac auctoritatis; neque obstant alii textus, nec Traditio; quinimo favet ista.

Origenes enim ait Petrum inter Apostolos *primum locum obtinere*: eum appellat *magnum Ecclesiæ fundamentum.* (*Homil. 32. in Joan. n. 5. et Homil. 5. in exod. n. 3.*) S. Basilius: *Beatus ille Petrus, inquit, omnibus Discipulis prælatus, cui soli majora data sunt quam aliis.* (*Serm. de judicio Dei, n. 7.*) S. Epiphanius: *Initium est à Petro factum quare (Christus) Petrum Discipulorum Principem elegit.* (*Hæres. 51. n. 17.*) Sanctus Chrysostomus: *Petrus . . . suum peccatum sic abluit . . . ut primus Apostolorum fuerit factus, eique torus terrarum orbis commissus fuerit.* (*Oratio 8. contra Judæos, n. 3.*)

Ambrosius dicit in Petro esse *Ecclesiæ firmamentum, eum Ecclesiæ præpositum, pastoremque Dominici gregis electum fuisse à Domino,* (*Lib. de Virginit. cap. 16. n. 105. et Enarrat. in Psal. 48. n. 40.*) Hieronymus: *Inter duodecim, inquit, unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tollatur occasio. Petrus . . . Princeps . . . Apostolorum fuit, super quem Ecclesia . . . fundata est* (*Lib. 1. advers. Jovinianum, tom. 4. part. 2. pag. 168. et lib. 1. Dialog. contra Pelagian. ibid. pag. 491.*) Augustinus: *Petrus in ordine Apostolorum primus . . . Apostolatus principatum tenens . . . ille unus Apostolus . . . in ordine Apostolorum primus et præcipuus.* (*Serm. 76. de Verb. Evang. Matth. n. 1. 3. 4.*) Sanctus Leo: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui . . . omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos prius*

epaliter regit et Christus . . . primus est in Domini confessione , qui primus erat in apostolica dignitate . (Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificat. cap. 2.)

Præterea illum Petrus habuit à Christo primatum jurisdictionis , cujus actus frequentissime exercuit : neque enim is erat , qui contra fas aliis Apostolis dominaretur , et Christi præcepta in re tanti momenti violaret : atqui plurima gessit Petrus , quæ totidem sunt actus specialis jurisdictionis : in omnibus enim negotiis semper prior agit , omnia disponit , statuit : si Christo respondendum sit , vel Christus interrogandus , Petrus est dux verbi ; si eligendus aliquis in locum proditoris Judæ , Petrus stans in medio fratrum rem proponit , doctesque huic eligendo necessarias exponit . Alloquendi sunt adstantes in die Pentecostes ? Petrus , dum ceteri tacent , verba facit . Quæstio movetur de Legalium observantiâ ? Petrus in Concilio Apostolico , prior sententiam dicit : atqui hæc omnia totidem sunt specialis jurisdictionis actus ; ergo Petrus verum habuit à Christo jurisdictionis primatum . Cum enim in aliqua societate virum conspicimus , qui sese interponit in omnibus , qui in tractandis negotiis autoritatem sibi vindicat , nemine reclamante , et cunctis consentientibus , argumentum hoc certissimum est hujusmodi hominem summam habere rerum Præfecturam , et ad eum , præ ceteris , pertinere ut bono totius societatis invigilet : tenacior quippe sui juris , suæque libertatis studiosior est homo , quam ut ab alio regi se patiat , qui jus illud non habeat .

Solvuntur objecta.

Objicies 1º. Petri primatum non probant ea Scripturæ loca , quibus nihil ei confertur , quod ipsi proprium sit : atqui laudatis Scripturæ locis nihil Petro confertur , quod ipsi proprium sit ; siquidem Apostolis omnibus datæ sunt cœli claves ; singuli sunt Ecclesiæ fundamenta : unde ait Apos-

tolus : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum . (Ephes. 2. 20.)* Ergo in gratiam primatûs Petri nihil probant laudata Scripturæ loca .

Resp. Neg. min. Ad cujus probationem disting. Omnibus Apostolis , et salvo primatu sancti Petri , conced. excluso , neg. min.

Revera Christus Petrum constituendo Ecclesiæ fundamentum , ipsique claves Regni cœlorum committendo , aliis Apostolis eandem , in ejus persona , dignitatem conferebat ; sed ita tamen ut specialiter ad Petrum pertineret ; namque , ut ait Augustinus , *Petrus Apostolus , propter Apostolatûs sui primatum , Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam . . . quando ei dictum est : Tibi dabo claves , etc. (Tract. 124. in Joan. n. 5. tom. 3. part. 2. pag. 822.)* Cur autem inter ceteros electus est Petrus , ut in ejus persona Christus toti Ecclesiæ claves Regni Cœlorum daret , nisi quia primatum in tota Ecclesia à Christo habuit ? quemadmodum primus in civitate societatem repræsentat , cujus nomine Principem alloquitur , et ab eo privilegia accipit .

Obj. 2º. Ex istis Christi verbis , *tu es Petrus , et super hanc petram* , etc. colligi non potest S. Petri primatus : quid enim *petræ* nomine intelligi debeat inter se non consentiunt SS. Patres . Multi et præsertim Augustinus , ipsum Christum intelligunt , quo nititur totius Ecclesiæ ædificatio , *tanquam ipso summo angulari lapide* ; (*Ephes. 2. 20.*) alii vero plurimi *petram* interpretantur de fide Divinitatis Christi , quam modo confessus erat Petrus . *Petram* , inquit Cyrillus Alexandrinus , *opinor nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem appellans , super quam . . . fundata Christi Ecclesia . (Dialog. 4. de Trinit. tom. 5. pag. 507.)*

Resp. Hæc interpretationum diversitas inde nata est , quod duplex sit Ecclesiæ fundamentum ; aliud *primarium ac essenziale* quod in ipso Christo situm

est: fundamentum enim aliud, inquit, Apostolus; nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. (1. Cor. 3. 11.) Aliud est secundarium et ministeriale, qualis fuit Petrus. Pro duplici autem illo respectu, petram quæ fundamentum est Ecclesiæ, Patres modo ad Christum, modo, quod in idem recidit, ad ejus Divinitatis fidem à Petro confessam, modo tandem ad ipsum Petrum referunt.

Porro diversæ Patrum expositiones nostram interpretationem non excludunt, juxta quam petra nomine designatur ipse Petrus. S. Augustinus ex v. g. duabus sententiis, quarum una Petri confessionem, et altera ipsum Petrum significari affirmat, eam quæ probabilior videbitur eligere permittit: quæ sit probabilior eligat lector. (Lib. 1. Retract. cap. 21. tom. 1. pag. 32.) Atqui longe probabilior videtur eorum sententia, qui petram ipsum Petrum intelligunt. 1°. Quia ita censent multi Patres quorum testimonia refert Bellarminus. (Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 10.) 2°. Quia ibi singulare aliquod privilegium S. Petro Christi Divinitatem confitenti promittitur. 3°. Quia pronomen hanc Petrum demonstrat, cui verba facit Christus, quasi dixisset: Tu es Petrus, vel Petra, super quam aedificabo Ecclesiam meam. 4°. Quia sensus nimis contortos exhibent aliæ interpretationes; ad istos enim revocantur: *Beatus es Simon Barjona . . . et ego dico tibi: tu es Petrus et super te aedificabo Ecclesiam meam.* — *Beatus es, Simon Barjona, ego dico tibi: tu es Petrus, et super fidem tuam aedificabo Ecclesiam meam.* Quantum vero impeditæ sint, et quam parum cohæreant illæ expositiones nemo est qui non videat.

Obj. 3°. Ceteris etiam Apostolis datæ sunt claves Regni cælorum, et ligandi ac solvendi potestas, ut testantur Patres. S. Ambrosius: *Quod Petro dicitur, ceteris Apostolis dicitur, tibi dabo claves.* (In Psal. 38. n. 37. pag. 858. tom. 1.)

Augustinus: *Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit;* (Tract. 50. in Joan. tom. 3. part. 2. pag. 633. n. 12.) ergo ex iis Christi verbis ad Petrum, *tibi dabo claves Regni cælorum,* inferri nequit primatus S. Petri.

Resp. Dist. ant. Ceteris Apostolis datæ sunt claves Regni cælorum, at Petro singulari quâdam ratione quæ ipsius primatum indicet, conc. ant. secus neg.

Ut quid enim, juxta SS. Patres, Christus Petrum inter ceteros elegit, ut in ejus persona toti Ecclesiæ claves Regni cælorum daret, nisi quia universæ Ecclesiæ figuram gerebat, nisi quia inter alios Pastores primum locum occupabat? *Cujus Ecclesiæ, inquit Augustinus, Petrus Apostolus, propter Apostolatûs sui primatum gerebat. . . personam, . . . quando ei dictum est, tibi dabo claves, universam significabat Ecclesiam.* (Tract. 124. in Joan. tom. 3. part. 2. pag. 822. n. 5.)

Augustini vestigiis insistens autor libri cui titulus, *Dissertation Canonique sur l'autorité du St. Siege*, Petri dignitatem sic vindicat: *Quand J. C. donne à l'Eglise la propriété des clefs, il le fait en adressant la parole à Saint Pierre, comme la représentant; en lui parlant, il est censé parler à toute l'Eglise. C'est ce qui se peut faire que dans la personne d'un chef, d'un premier qui représente tout le corps. Voilà des caracteres de primauté qui percent de toutes parts.* (pag. 280.)

Obj. 4°. Paulus (Galat. 2. 9.) Petro secundum locum, et primum Jacobo tribuit: *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteris dederunt mihi.* Quinimo (1. Cor. 9. 5.) tertium duntaxat locum obtinet Petrus: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Ergo constans non est Scripturarum consuetudo Petrum ante alios Apostolos nominandi

ergo inde argumentum deduci non potest in gratiam primatus S. Petri.

Resp. ad 1^{um}. In variantibus Novi Testamenti lectionibus, non Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus tantum, sed etiam plurimi codices manuscripti Petrum ante Jacobum appellant, hoc scilicet modo: *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Petrus, Jacobus et Joannes.* Unde verisimile est accuratiorem esse hanc lectionem.

Præterea etiamsi in eo capite accuratam esse Vulgatam nostram concederemus, non ideo causam obtinerent adversarii. Specialis enim fuit ratio: propter quam Paulus hic Jacobo primum locum assignaret, quia Jacobus erat loci, id est Hierosolymæ, Episcopus.

Resp. ad 2^{um}. Ibi postremum locum ideo tenet Petrus, quod ipsi in ea circumstantia sit magis honorificus, ejusque dignitatem splendidius exhibeat. Rem ita exponit scriptor supra laudatus.

Il n'est pas difficile de voir que S. Paul emploie ici trois autorités, qui enchérissent les unes sur les autres, mettant les plus fortes les dernières, comme la nature l'exige, et l'art le prescrit. La vraie façon de raisonner juste, c'est de donner aux dernières preuves la force prépondérante, et par conséquence leur donner réellement le premier rang en force et en autorité. S. Paul allègue donc d'abord l'exemple des autres Apôtres en général, ensuite l'exemple de ceux d'entre eux qui doivent avoir le plus de poids, par cet avantage si respectable, et cet honneur si précieux d'être les frères, c'est-à-dire, les proches parens du Seigneur, selon la chair. Enfin il allègue, comme enchérissant sur le tout, l'exemple de Cephass ou S. Pierre. Qui ne voit que c'est lui donner la primauté d'autorité et de force ? (Ibid. pag. 288. et suiv.)

Obj. 5^o. Christus Discipulos inter se de primatu contententes, sic arguit: *Qui minor est inter vos omnes, hic major est.* (Luc. 9. 48.) *Si quis vult*

primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister (Marc. 9. 32.) Illud itaque Christus Petro non concessit, quod in Apostolis improbavit: atqui Christus primatum in Apostolis improbavit: ergo eum Petro non concessit.

Resp. Dist. min. Primatum, qualem ambierant Apostoli, conc. min. Primatum quemlibet, neg. min.

Itaque Christus eum duntaxat primatum improbat, qui cum ambitione, fastu imperiosaque dominatione conjunctus est; uno verbo, qualis erat apud Principes gentium, ut sichabet: *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis . . . non ita est autem in vobis; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister.* (Marc. 10. v. 42. et 43.) Porro hujusmodi primatum nec habuit unquam, nec exercuit S. Petrus, qui caritate, magis quam dominio, humilitate, quam autoritate ceteros Apostolos superavit: quinimo superbum dominatum ab Evangelii ministris prorsus alienum esse sic docet: *Pascite qui in vobis est gregem Dei; providentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum . . . neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* (1. Ep. Petr. 5. 2.)

Obj. *Creditum est mihi*, inquit Paulus, *Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatam circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes;* (Galat. cap. 2. v. 7 et 8.) Ergo Paulus à Christo eandem habuit in gentes jurisdictionem, quam Petrus in Judæos, parque fuit in utroque autoritas.

Resp. Neg. conseq. Ecclesia enim suis in primordiis non constabat, nisi ex Judæis ad fidem conversis: iste est Apostolatus qui Petro conceditur, et quidem illius autoritate qui Paulo gentium conversionem demandavit, nempe ipsiusmet Filii Dei. En profecto institutio divina, quæ Petro committitur tota Judæorum, qui ad Religionem

Christianum adducti fuerant, Ecclesia. Ipsi caput constituitur: atqui hæc Ecclesia tunc erat universa Ecclesia; ergo Petrus ab ipso Christo delectus fuit tanquam Ecclesiæ universæ Princeps et caput, ac proinde in ea primatum habuit ex jure divino. Præterea quamvis convertendarum gentium munus Paulo Deus specialiter commiserit, ab eo tamen non exclusus fuit S. Petrus. Nonne Romæ fidem Evangelicam prædicavit? Nonne et alii Apostoli illud ministerium erga diversos populos exercuerunt? In eos jurisdictionem habuere quidem, at salvo Beati Petri primatu, quem ipsi dedit Christus in totam Ecclesiam, quæ ex Judæis et Gentilibus conflanda erat. Ad primatum igitur nihil interest, sive hic sive ille Apostolus has vel illas gentes ad fidem adduxerit.

Inst. Sic testatur Paulus: *Cum venisset Cephas (Petrus) Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: (Galat. 2. 22.)* atqui hæc reprehensio satis probat Paulum fuisse Petro saltem æqualem; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Ex eo quod enim Paulus Petrum reprehenderit, perperam concluditur ambos fuisse prorsus æquales; quia primatûs dignitas non impedit, quominus Superior culpæ, et proinde correctioni, sit obnoxius; potuit igitur Paulus ex caritate, et veritatis Religionisque studio, Petrum corripere; nec inde quidquam Petri prærogativæ deperit. Unde Gregorius Magnus ait: *Ecce Petrus à minori suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. (Lib. 2. in Ezech. Homil. 6. n. 9.)*

Obj. 7. Sanctus Cyprianus sic affirmat: *Hoc erant antiquæ ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, et honoris et potestatis. (Lib. de unit. Eccles. pag. 195 Edit. Baluz.)* Unde sic: Qui asserit omnes Apostolos inter se fuisse æquales, is nullum in Petro primatum agnoscit: atqui sanctus Cyprianus, etc.; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Inter se fuisse æquales, ita ut nullus

nullus primatum habuerit, conc. maj. fuisse æquales quoad munus Apostolicum, neg. maj. disting. pariter min.

Itaque hæc genuina est sancti Cypriani verborum interpretatio, ut omnes Apostoli in eo fuerint æquales, quod omnes idem munus Apostolicum acceperint, quo Christum ubique prædicare, Ecclesias instituere, Sacramenta ministrare singuli poterant. Sanctus autem Doctor omnes Apostolos non ita facit inter se æquales, ut nullus primatum habuerit, cum è contrario verbis in objectione prolatis immediate ista subjungat: *Primatus Petro datur.*

PROPOSITIO II.

Romanus Pontifex in tota Ecclesia primatum habet.

Prob. 1^o. Apud omnes constat illud esse successoris proprium, ut decessoris dignitatem et autoritatem habeat: atqui Romanus Pontifex est successor beati Petri qui primatum obtinuit: ex Traditione enim certum est Romanos Pontifices, pro Petri successoribus semper in Ecclesia habitos fuisse. Fabianum tanquam Petri successorem agnovit his verbis Cyprianus: *Factus est Cornelius Episcopus. . . Cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, et gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. (Epist. 52. ad Antonianum, Edit. Baluz. pag. 68.)* Pontifices Romanos usque ad Siricium suo tempore viventem, ut Petri successores, recenset sanctus Optatus Milevitanus, de Cathedraque Romana hæc habet: *Sedit prior Petrus, cui successit Linus; Lino successit Clemens; Clementi, Anacleto; . . . Julio, Liberio; Liberio, Damaso, Damaso, Siricio, qui noster est socius. (Lib. 2. n. 3. contra Parmenian. pag. 28. Edit. D. Dupin.)* Eundem titulum Damaso dedit Hieronymus, sic ad eum scribens: *Cum successore piscatoris. . .*

loquor *Cathedra Petri* communionem consocior. *Epist. 14. ad Damasum*, tom. 4. 2. part. pag. 19.) Idem de Romanis Pontificibus, usque ad Anastasium, confitetur Augustinus: *Petro successit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacleus Siricio, Anastasius qui nunc super eandem (Petri) Cathedram sedet.* (*Epist. 53. n. 2. et 3. ad Generosum.*) Facile esset ab illis Petri successoribus, continuatâ serie ad Pium usque VI, delabi; ergo certum est Romanum Pontificem esse Petri successorem cuius proinde primatum obtinet. Non minus enim ad Petri successorem transmitti debuit primatus, quam Potestas Episcopalis ad quoslibet Apostolorum successores: atqui potestas Episcopalis ad, etc., ergo, etc.

Præterea, si mortuo Petro, eadem, imo major necessitas fuerit capitis in Ecclesia constituendi, certè cum Petro interire non debuit primatus, sed ad successores ejus transferri: atqui post obitum Petri, eadem imo major fuit necessitas, etc. Nam Petrus Ecclesiæ caput à Christo fuit institutus, ut, *capite constituto, Schismatis tolleretur occasio*, ait Hieronymus: atqui post mortem Petri magis cavendum timendumque fuit Schisma inter Apostolorum successores; ergo necesse fuit ut Petri successoribus idem, ac ipsi, primatus concederetur.

Prob. 2^o. Ille primatum habet, in quo prærogativam hanc agnovit antiquitas, iis etiam seculis, quibus purissimam fuisse Ecclesiæ fidem, et optimum ejus regimen fatentur Protestantes: atqui in Romano Pontifice primatum tota reverita est antiquitas: eundem enim primatum habet Papa ac Ecclesia Romana cui præest: atqui Ecclesiæ Romanæ super alias primatum agnovit antiquitas. *Ecclesia Romana*, ait Concilium Nicænum primum generale ann. 325. *semper habuit primatum.* (*Can. 6.*) Sic legitur in multis cod. mss. antiquissimis, quos citat Harduinus (*Conc. Collect. tom. 1. pag.*

325.) Concilium Constantinopolitanum I, quod est generale II. anno 381 ita statuit: *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum.* (*Can. 2. ibid. pag. 809.*) Chalcedonense declarat omnem primatum . . . secundum Canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari. (*Act. 16. Hard. collect. Concil. tom. 2. pag. 642 et 643.*) Alia sileo Concilia, in quibus eadem dignitas Romano Pontifici adscribitur; qualia sunt Lateranense IV, et Florentinum.

Non minus hac in re concordēs reperias Patres antiquissimos. Sanctus Irenæus de Romana Ecclesia ait: *Ad hanc Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* (*Lib. 3. cap. 3. n. 2.*) Sanctus Cyprianus, strenuus ille autoritatis Episcopalis vindex et defensor, ad Cornelium Papam, de quibusdam Hæreticis scribit: *Navigare audent et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem.* (*Epist. 55. Edit. Baluz. pag. 86.*) In Romana Ecclesia, inquit Augustinus, *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* (*Epist. 43. n. 7. Edit. Bened. tom. 2.*) *Roma per Apostolici Sacerdotii principatum, ait sanctus Prosper, vel alius autor antiquissimus, amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.* (*Lib. 2. de vocat. gentium, cap. 16.*) *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput munde, quidquid non possidet armis, Religione tenet.* (*Carmina de ingratis, cap. 2.*) Ergo Romanæ Pontificis primatum agnovit antiquitas.

PROPOSITIO III.

Primatus Summi Pontificis non est honoris tantum, sed et jurisdictionis.

Prob. 1^o. Primatus S. Petro ejusque successoribus datus est propter utilitatem Ecclesiæ, servandamque fidei et disciplinæ integritatem;

atqui eum finem non potest assequi Romani Pontificis primatus, nisi conjunctam habeat aliquam in Ecclesiis particulares auctoritatem, qua scilicet provideat unitati contra Schismata, fidei contra errores, et disciplinæ contra morum corruptelam; ergo hanc potestatem habet Rom. Pontifex.

2°. Talis est Rom. Pontificis primatus, quem definivit Ecclesia: atqui primatum jurisdictionis Rom. Pontifici competere Ecclesia definivit: eum enim primatum in Concilio Constantiensi asseruit Ecclesia, quem negarunt Viclefus et Joannes Hus: atqui primatum jurisdictionis uterque rejecit. Quæ fuerit Concilii mens, clarius etiam aperit Bulla Martini V, quæ jubet interrogari qui suspectus fuerit, *an credatur quod Papa canonice electus . . . sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* (Collect. Labb. Tom. 12. pag. 270.)

3. Eum primatum habet Romanus Pontifex quem habuit S. Petrus cui successit: atqui S. Petro primatum, non honoris tantum, sed et jurisdictionis datum fuisse probavimus; ergo, etc.

4°. Primatus ille Papæ non immerito tribuitur, quem Pontifices Romani, etiam pietate insignes, nemine reclamante, vel primis Ecclesiæ seculis, non semel exercuerunt: atqui constat Pontifices Romanos, etiam pietate conspicuos, primatum jurisdictionis, etc. Sic S. Victor Papa circa annum 200, dum voluit excommunicatione lata, vel saltem proposita, Polycratem Episcopum Ephesinum, et alios Asianos cogere ad Pascha die dominica celebrandum, insignem sane jurisdictionis actum exercebat: atqui tamen nullus Victorem accusavit, quod auctoritatem sibi indebitam arrogaret; sed tantum, ne sua abuteretur potestate, tot ac tantas Ecclesias è sua communionem rescindendo, à sancto Irenæo monitus est.

Eodem zelo adversus Cyprianum, Firmilianum, aliosque bene multos ipsis adhærentes, exarsit circa medium tertium seculum S. Stephanus Papa:

atqui nemo dixerit sanctissimum illum Pontificem de sententia in tot tantosque Episcopos ferenda cogitatum fuisse, nisi novisset Christianis persuasum esse, hanc penès Summum Pontificem residere potestatem: eum si non habuisset, procul dubio Cyprianus et Firmilianus cum suis, intolerandam hanc auctoritatis indebitæ usurpationem Stephano exprobrassent: atqui tamen nihil simile ab iis actum est; ergo, etc.

PROPOSITIO IV.

Primatus Romani Pontificis juris est divini.

Probatur. 1°. Eodem jure primatum habet Romanus Pontifex, quo ipsemet Petrus cujus est successor, sicut inde suam jurisdictionem tenent Episcopi, unde Apostoli quibus succedunt: atqui Petrus primatum habuit ex jure divino, sive ab ipso Christo, ut supra probatum fuit; ergo, etc. 2°. Id cujus exordium ignoratur, neque ab Apostolis aut Conciliis institutum est, at semper in Ecclesia obtinuit, illud non nisi ad institutionem divinam referendum est: atqui ex S. Augustino, *in Romana Ecclesia semper Apostolica cathedræ viguit principatus.* 3°. Quod necessarium est Ecclesiæ, id juris est divini, nisi velimus Christum Ecclesiæ defuisse in necessariis, quæ humana sapientia suppleverit; atqui primatum unius in Ecclesia necessarium esse fatebitur, quisquis unitatem Ecclesiæ agnoscit; *ur scilicet capite constituto*, inquit Hieronymus, *Schismatis tollatur occasio.*

4°. Non desunt testimonia quæ eandem veritatem adstruant. Augustinus Concilii Milevitani nomine ad Innocentium I Papam ita scribit: *Arbitramur adjuvante misericordia Domini Dei nostri . . . auctoritati sanctitatis tuæ de Scripturarum sanctarum auctoritate depromptæ, facilius eos qui tam perversa sentiunt, esse cessuros.* (Ep. 176. n. 5. Edit.

Bened. rom. 2. pag. 622.) atqui *autoritas de sancrarum Scripturarum autoritate deprompta*, quid aliud est quam primatus Romano Pontifici à Deo concessus? *Romana sedes*, ait Pelagius II Papa, *instituyente Deo, caput est omnium Ecclesiarum.* (*Epist. 8. rom. 5. Conc. Labb. pag. 950.*) Synodus Lateranensis IV per antonomasiam dicta *Magnum Concilium*, sic declarat: *Romana Ecclesia, disponente Deo, super omnes Ecclesias obtinet principatum.* (*cap. 5.*) Concilium Florentinum, Græcis etiam consentientibus, ita statuit: *Definimus sanctam Apostolicam sedem in universum orbem tenere primatum et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri totiusque Ecclesiæ caput et ipsi in B. Petro gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* (*Tom. 13. Concil. Labb. pag. 515.*)

Neque dixeris Ecclesiam Gallicanam in hac parte à Concilio Florentino, vel à ceteris Ecclesiis dissentire: jam enim ante illam Synodum, celeberrimus Gerson, Cancellarius Parisiensis Universitatis dixerat: *Status Papalis constitutus est à Christo supernaturaliter, et immediate, tanquam primatum habens quem primatum quisquis impugnare vel diminuerè præsumit, si hoc pertinaciter faciat, Hæreticus est, Schismaticus, impius atque sacrilegus.* (*Lib. de Statib. Eccles. consider. 1. Edit. D. Dupin. rom. 2. pag. 529.*) Apud Gallos vim habet Concilium Basileense: illius autem Synodi Patres, objicientibus in gratiam Eugenii IV, quod *Summus Pontifex sit caput et primus Ecclesiæ, et à Christo, non ab hominibus vel Synodis, prælatus aliis, etc.* sic respondent: *Ista plane fatemur, et credimus, operamque in hoc sacro Concilio, dare intendimus, ut omnes eandem sententiam credant.* (*Tom. 12. collect. Labb. pag. 679.*)

Illustrissimus Bossuet in luculento opere cui titulus: *Expos. de la Doctrine de l'Eglise Catho-*

lique: (art. 21.) docet primatum ex jure divino non inter ea numerandum esse, de quibus libere disputatur in scholis, agnoscendum esse caput à Christo institutum, autoritatemque Cathedræ Petri certum habere fundamentum in Evangelio, et evidens in continua Traditione testimonium: denique Clerus Gallicanus ann. 1682, in præfatione declarationis suæ, de potestate Ecclesiastica, conqueritur non deesse, qui primatum B. Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum imminuere non verentur; à ceteris igitur Ecclesiis hac in parte non dissentit Gallicana, sed Traditionem corroborat, nedum debilitet.

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. S. Cyprianus sic declarat in præfatione Concilii Carthaginensis tertii an. 256: *Neque quisquam nostram Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit:* (*Tom. 1. Concil. pag. 786.*) ergo S. Doctor nullum agnoscit Episcopum Episcoporum, ac proinde nec primatum in Romano Pontifice.

Resp. Neg. conseq. Id unum significat S. Cyprianus, inter Patres Concilii Carthaginensis, nullum fuisse qui autoritatis suæ limites transiliens, suos collegas ad obsequendi necessitatem tyrannico terrore adigeret; sed omnia libere peracta esse. Quibus verbis Stephanum Papam, tacto nomine, perstringit et vellicat, quasi intentata in Episcopos iterum baptisantes excommunicatione, eos vellet ad obsequium incusso metu compellere. Minime vero negat Romanum Pontificem eo sensu Episcopum Episcoporum esse, quod primatum in Ecclesia universali habeat: in Epistola enim 55. ad Cornelium Papam de nonnullis Hæreticis ita loquitur: *Navigare audent, et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, . . . litteras ferre.* (*pag. 86.*)

Romana igitur Sedes, teste Cypriano, *cathedra est Petri*, atque *Ecclesia principalis*; Romanus ergo Pontifex in cathedra Petri sedet, sive ipsius successor est, ideoque primatum habet ex jure divino.

Inst. Qui primatum jurisdictionis habet, potest Episcopum ab ejus collegis depositum suæ sedi restituere: atqui, juxta S. Cyprianum (*Epist. 68. pag. 119.*) non potest Romanus Pontifex Episcopum, etc. ergo primatum jurisdictionis non habet.

Resp. Dist. maj. Potest Episcopum ab ejus collegis injuste depositum suæ sedi restituere juxta formam à Canonibus præscriptam, conc. maj. potest Episcopum à suis collegis juste depositum, etc. neg. maj.

Agitur in objecta Epistola de Basilide et Martiali Hispanis Præsulibus, Episcoporum judicio, propter idololatriæ crimen, è suo gradu, juxta Canones dejectis. In Basilidis locum rite subrogatus fuerat Sabinus. Romam vero sese contulit Basyrides, ubi Stephano rei ignaro fucum faciens, ab eo per fraudem obtinuit, ut irrita declararetur Sabini Ordinatio. Hanc autem à Romano Pontifice rescindi: et Basilidem suæ sedi restitui non potuisse contendit S. Cyprianus, et merito quidem: Romanus enim Pontifex, quamvis Episcoporum primus, eam non habet potestatem quæ nullis coërceatur legibus; sed Ecclesiæ Canonibus subdita est ac temperata; non primatum igitur Summi Pontificis, sed illius abusum hic impugnat Cyprianus.

Obj. 2^o. Si primatum jurisdictionis in Ecclesia universa Romanus Pontifex haberet, merito dici posset *Episcopus universalis*: atqui talis dici non potest, ut constat ex variis Gregorii Magni epistolis, qui Joannem Patriarcham Constantinop. non leviter carpit, quod nomen illud affectaret: quem titulum vocat S. Doctor *nomen blasphemix, cultum ac superbum vocabulum*; ergo etc.

Resp. Neg. maj. Scilicet *Episcopi universalis* nomine significari videtur, unum duntaxat in orbe esse Episcopum cujus ceteri omnes essent tantum Vicarii, et ab eo suam mutarentur autoritatem. Sic enim Joannem Patriarcham Constantinop. increpat S. Gregorius: *Qui indignum te fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.* (*Lib. 5. Ep. 18. pag. 741.*) Et postea rationem affert, cur nullus Pontifex Romanus titulum hunc sibi sumpserit: *Ne, inquit, si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* (*Ibid. pag. 743.*) Eodem sensu Pelagius II Gregorii decessor dixerat: *Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur, quia si summus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur.* (*Tom. 5. Conc. Labb. pag. 949.*) Idcirco Gregorius Magnus nomen illud verbis tam asperis insectatur. Porro ex eo quod Romanus Pontifex primatum jurisdictionis obtineat in Ecclesia, minime sequitur eum solum esse Episcopum, cujus Vicarii tantum sint Præsules alii omnes; quem sensum videtur præferre ambitiosus ille titulus *Episcopi universalis*; sed primatum Romano Pontifici ita vindicamus, ut suum jus, suaque dignitas unicuique Episcopo constet.

Obj. 3^o. Canonem sextum Concilii Nicæni à quo ita discernitur: *Mos antiquus perdurat in Ægypto vel Lybia et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est.* (*Tom. 2. Concil. pag. 46.*) Eundem Canonem post annos circiter 40, quo tempore ejus sensus ignorari non poterat, sic exponit Rufinus: *Uz apud Alexandriam et in urbe Roma, vetusta consuetudo servatur, ut vel ille Ægypti, vel suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat Episcopus,*

(*Lib. 1. Histor. Eccles. cap. 6. n. 6. tom. 1. pag. 199. Edit. Paris. 1580.*)

Unde colligitur istud argumentum : Ille non semper habuit universalem in Ecclesia jurisdictionem, cujus sollicitudo à Synodo Nicæna intra Provincias suburbicarias continetur, (id est, intra decem Provincias Italicas quæ urbis Vicario subiciebantur :) atqui sexto Canone Nicæno Rom. Pontificis sollicitudo intra illas Provincias coërcetur ; ergo , etc.

Resp. Dist. min. Coërcetur sollicitudo peculiaris quoad Episcoporum consecrationem, quæ ibi fieri non poterat, nisi à Rom. Pontifice, vel ex ejus licentia, conc. min. coërcetur sollicitudo generalis cum ipso primatu connexa, neg. min.

Sub quadruplici respectu Rom. Pontifex spectari potest ; nimirum 1°. ut Episcopus Romæ ; 2°. ut Metropolitans Provinciæ Romanæ et regionum suburbanarum ; 3°. ut totius Occidentis Patriarcha ; 4°. ut totius orbis Christiani Primas et caput. Sic Præsul Lugdunensis simul est Lugduni Episcopus, suæ Provinciæ Metropolitans, multorumque Archiepiscoporum Primas.

Porro in prædicto Canone non confertur Alexandrinus Patriarcha cum Rom. Pontifice, nisi quoad dignitatem metropolitanam, vi cujus suburbanas Romæ Provincias regit et moderatur. Scilicet per sextum Canonem prohibet Concilium Nicænum, ne in Lybia et Pentapoli, absque Episcopi Alexandrini licentia consecrarentur Episcopi, quemadmodum in Provinciis suburbicariis non consecrabantur nisi per Rom. Pontificem vel ex ipsius consensu, et in unaquaque Provincia sine Metropolitanæ auctoritate. Hanc ipse Concilii mentem satis demonstrant hæc verba : *Per omnia autem manifestum est, quod si quis præter voluntatem et conscientiam Metropolitanæ Episcopi fuerit Ordinatus, hunc Concilium magnum et sanctum censuit non debere esse Episcopum.* (*Ibid.*) Verum de Romanæ Sedis primatu minime loquitur Nicæna Synodus.

Obj. 4°. A Concilio Constantinop. ann. 381 decernitur, ut Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes, post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma. (*Can. 3. Collect. Labb. Tom. 2. pag. 948.*) Concilium Chalcedonense sic habet : *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret ; jure Patres privilegia tribuerunt, et eadem consideratione moti 150 Episcopi novæ Romæ (Constantinopolis) throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes urbem quæ et Imperio et Senatu honorata est, et æqualibus cum antiquissimâ Reginâ Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis.* (*Can. 28. ibid. Tom. 4. pag. 769.*)

Unde sic : Ille non nisi jure humano primatum habet, cui privilegia concessa sunt, non à Deo, sed à Patribus, et eam ob causam, quod urbs Roma imperaret ; quemadmodum Patres Concilii Constantinop. æqualia novæ Romæ Episcopo privilegia tribuerunt : atqui Romano Pontifici privilegia concessa sunt, non à Deo, sed à Patribus et eam ob causam quod urbs Roma imperaret ; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Cui privilegia primatus in tota Ecclesia concessa sunt, non à Deo sed à Patribus, conc. maj. privilegia Patriarchalia, neg. maj. dist. pariter min.

Itaque Canones objecti intelligendi sunt de jure Patriarchali, quod Romano Pontifici in certas Ecclesias privilegio humano concessum est ; non de jure primatus, quod institutionis est divinæ. Concilium enim Chalcedonense, cum secundum, post Romanum Pontificem, locum Episcopo Constantinopolitano tribuit, hac ratione utitur, quod Constantinopolis nova sit Roma, id est, Imperii caput ; quemadmodum igitur ea ratio Concilium movit, ut Patriarchalem dignitatem Episcopo Constantinopolitano concederet, ita et quondam Patres impulit, ut Episcopum Romanum totius Occidentis Patriarcham constituerent ; sed inde non

manavit dignitas primatus, quam Romanus Pontifex habet in tota Ecclesia: nam ab ipso Christo, ut diximus, suam duxit originem, quod non leviter probant ipsimet objecti Canones. Si enim credidisset Concilium Chalcedonense primatum Romani Pontificis mere humanum esse, cur translata Constantinopolim Imperii sede, simul etiam primatum ex urbe Roma non transtulit? Cur non declaravit Episcopum Romanum priores honoris partes, post Episcopum Constantinopolitanum, obtinere? Cur Patres illi Ecclesie Constantinopolitane Romanam Ecclesiam postponere non ausi sunt, que madmodum Alexandrinam et Antiochenam postposuere, licet illis priorem locum, post Romanam, concessisset Synodus generalis Nicæna? Cur, inquam, nisi quod ausi non fuerint, jure humano Ecclesiam eam ulli alteri posthabere, quam jure divino ceteris omnibus prælatam esse agnoscebant? Hoc certe nisi persuasum habuissent, nihil esse videbatur, quod eos remoraretur.

Obj. 5°. Plurimi Pontifices Romani, quorum intererat suæ sedis privilegia defendere, ipsius primatum ad Patrum instituta et antiquitatis consensum referunt. Zozimus in Epistola ad Africanos, (*Apostolicæ sedis*) autoritati, inquit, *in honorem Beati Petri, Patrum decreta peculiarem sanxere reverentiam.* (Tom. 2. Concil. pag. 1558.) Joannes secundus ad Justinianum Imperatorem ita scribit: *Rom. Ecclesiam esse omnium vere Ecclesiarum caput, et Patrum regulæ et Principum statuta declarant;* (Tom. 4. Concil. pag. 1745.) ergo Rom. Pontificis autoritas et primatus non sunt juris divini.

Resp. Neg. ant. Prædictis enim Pontificibus ea mens fuit ut ostenderent suæ sedis autoritatem, et divina institutione, et Patrum decretis, totiusque antiquitatis consensu firmatam esse. Cum ergo, inquit ibidem Zozimus, *tantæ autoritatis Petrus caput sit, ut humanis, divinisque legibus . . .*

firmetur Rom. Ecclesia, etc. Joannes secundus, post objecta verba, Justinianum sic alloquitur: *Romanæ sedis reverentiam consecratis, et ei cuncta subjecitis, ad cujus autorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente, præceptum est: pasce oves meas.* Quibus verbis, suæ sedis autoritati non humanam, sed divinam originem vindicat.

Obj. 6°. Romanum Pontificem primatum jure divino obtinere, eam ob causam asseritur, quod B. Petro successerit: atqui illud non ita certum est; siquidem multa sunt quæ persuadent, Petrum Romam nunquam venisse; ergo Romanum Pontificem primatum jure divino obtinere non probatur.

Resp. Neg. min. Tantus est enim Scriptorum, Petrum Romam venisse testantium, numerus et consensus, ut vel factum illud verum sit oporteat, vel nullius pene facti certitudo habeatur: nam 1°. Eusebius in Chronico ann. 43. sic narrat: *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans, 25 annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* (Edit. Scalig. pag. 160.) 2°. S. Hieronymus: *Simon Petrus, inquit, . . . ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ubique 25 annis Cathedram sacerdotalem tenuit.* (Catalog. Scriptorum Eccles. n. 1. tom. 4. part. 2. pag. 101.) 3°. Paulus Orosius sic narrat: *Exordio regni Claudii, Petrus Apostolus Christi, Romam venit, et salutarem cunctis fidem docuit; atque exinde Christiani Romæ esse cæperunt.* (Lib. 7. Histor. cap. 6.) 4°. His omnibus præverat secundo seculo Tertullianus, qui de Ecclesia Romana sic loquitur: *Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur!* (Lib. de præscrip. cap. 36.) 5°. Irenæus qui eodem seculo floruit, et Apostolorum discipulos cognovit, *maximas asserit*

à gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo, Romæ fundatas, et constitutas esse Ecclesias. (*Lib. 3. contra hæres. cap. 3. n. 2.*) Alios sileo Scriptores innumeros.

Præterea ejusdem facti veritas ex istis colligitur S. Petri verbis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta.* (*1. Petri, 5. 13.*) *Babylonis enim nomine hic Romam designari existimant antiqui interpretes, ut sic fatetur Grotius: Babylonem Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitabit.* (*In cep. 5. primæ Epist. Petri. Tom. 8. Criticorum sacrorum, pag. 1750.*) Quin ipsemet Calvinus de Petro hæc habet: *Propter sanctorum consensum, non pugno quin illic (Romæ) mortuus sit.* (*Lib. 4. Institut. cap. 6. n. 16.*)

Denique Traditionem hac de re confirmant antiquissima monumenta, quæ adhuc Romæ extant, ibique Petrum mansisse testantur: Apostolorum enim sepulcra, eorum Martyrii locus, templa ipsorum nomini dedicata, vel à primis Ecclesiæ seculis, ostendebantur.

Inst. 1^o. Incredibile est quantum discordes sint Chronologi in definiendis temporibus, tum adventus Petri Romam, tum ejus pontificatus, tum mortis; præterea si Petrus Romæ mansisset, Paulus ad Romanos scribens, non salutasset 30. viros et amplius, insalutato Petro; ergo prorsus incertum est Petrum Romæ commoratum fuisse.

Resp. Neg. conseq. Quæ enim hic objiciuntur, omnino vana sunt: et 1^o. quidem Scriptorum, in definiendis adventus Petri Romam, ejus Pontificatus et mortis temporibus discrepantia factum adstruit, nedum evertat: fieri quippe non potest, ut tanta sit de facti cujusdam circumstantiis diversitas, nulla autem circa ipsius substantiam, nisi quia rei veritas extra omnem dubitationis aleam posita est. Et vero ex Chronologorum disputationibus, de anno quo Christus natus est aut mor-

tuus, nemo sanus colliget incertum esse, an natus in Bethleem, et Hierosolymis mortuus: cur ergo idem non dixeris de Chronologorum dissidiis circa facti, de quo nunc agitur, circumstantias? 2^o. Quod objicitur Paulum, cum vel Romam ad alias Ecclesias, vel aliunde ad Romanos scribit, nunquam Petri meminisse, dum alios bene multos salutatur, levissimum est: forte enim, cum Paulus scriberet, vel Petrus nondum Romam venerat, vel Romæ non aderat, aliò raptus necessitate Ecclesiæ, vel iis ad quos scripsit nulla fuerat præcipua cum Petro societas et necessitudo; vel denique aliis de causis, quas divinare non vacat.

Inst. 2^o. Sanctus Lucas in Act. Apostolorum Petrum Romam se contulisse nullibi refert: atqui factum illud non prætermisisset, si verum foret; ergo mera est fabula.

Resp. Neg. min. Id enim consilii non habuit Lucas, ut Petri historiam, variaque itinera describeret; sed illud sibi maxime proposuerat, ut Pauli cujus discipulus fuit et socius, labores narraret. Multa prætermisit Apostolorum facta, et quidem insignia, de quibus tamen non ambigitur; silet à Sancto Marco fundatam esse Ecclesiam Alexandrinam; silet Sanctum Jacobum fuisse Hierosolymæ Episcopum: hæc tamen facta in dubium non vocant adversarii, quamvis ejusdem sint generis, ac Petri in urbe Roma commoratio. Ad removendam ea de re omnem dubitationem, nonne satis est ut factum illud unanimi consensu testetur antiquitas?

Inst. 3^o. Lucæ narratione patet Judæos Romæ degentes ex Christiana Religione nihil aliud cognovisse, nisi quod ab omnibus impugnaretur. *Rogamus autem, inquit Paulo, à te audiri quæ sentis: namque de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.* (*Act. 28. 22.*) Numquid vero tanta Religionis Christianæ ignorantia laborassent Judæi, si Petrus suam Romæ sedem habuisset?

Resp. Interrogationem hanc tribuendam esse Judæis nondum conversis, qui Paulum Christo nomen dedisse adhuc ignorabant, vixque aliquid de Religione Christiana noverant. Sed Romæ alii erantsive Judæi, sive Gentiles, ejusdem Religionis documentis plenius imbuti, et quorum fidem jam in toto orbe celebrem fuisse testatur Apostolus: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* (Rom. i. 8.) Jam formata igitur erat Ecclesia Romana, priusquam ad eam scriberet et venisset Paulus. Quis vero prima illius fundamenta jecit? Non sane Paulus qui ab ea urbe semper abluerat; superest ergo ut à Sancto Petro fundata fuerit; quod affirmat unanimis antiquitas. Deinde ad eam perficiendam suis documentis et laboribus plurimum contulit Sanctus Paulus.

Obj. 7°. Esto Petrus Romam venerit, et Romanus Pontifex, quatenus ipsius successor, primatum habeat; at certe eum ex jure divino non obtinet: quod enim Petrus suam Romæ sedem fixerit, factum est mere humanum.

Resp. Dist. Romanus Pontifex primatum ex jure divino non habet eo sensu quod à Christo non sancitum fuerit; ut Romanus Pontifex, quatenus est Romæ Episcopus, primatum habeat, conc. Romanus Pontifex, quatenus eligitur ut Petri successor, primatum non habet ex jure divino, neg.

Successio ipsa, inquit Bellarminus, ex Christi instituto et jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro pontificatum duraturum usque ad finem mundi; et proinde quicumque Petro succedit, à Christo accepit pontificatum. At vero quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, fit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, et tunc, moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset: potuisset quoque semper manere An-

tiocliæ, et tunc Antiochenus sine dubio successisset: Quia vero Romæ sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est ut Romanus Pontifex ei succedat. (Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. tom. 1. pag. 351. edit. Pragæ. 1721.)

CAPUT II.

Sine Romanus Pontifex Concilio generali superior.

EA de quæstione non mediocri *Ultramontanos* inter, præsertim Italos, et alios Theologos, præcipue Gallos, exorta est controversia: priores enim Romani Pontificis autoritatem justos ultra limites promovendi nimium studiosi, eum Conciliis generalibus ita superiorem esse contendunt, ut si Concilio non adsit, vel non consentiat, nihil decernere possit Synodus generalis, quod Papam obliget; hanc autem doctrinam antiquis Patribus inauditam rejiciunt alii Theologi, inter quos eminent Galli, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Romanus Pontifex Concilio generali autoritate inferior est.

Probatur 1°. Supremus et infallibilis controversiarum ad fidem pertinentium, judex eum certe superat autoritate, qui falli potest: atqui Concilium generale est supremus et infallibilis controversiarum ad fidem pertinentium judex, siquidem universam repræsentat Ecclesiam; Romanus vero Pontifex falli potest, ut præbaturi sumus; ergo Romano Pontifice Concilium generale superius est. Deinde Concilio generali, seu Ecclesia, inferior